

bat, & ipsos soluebat, vt cap. de Iudaico lapide, & alijs in locis scribitur, quod etiam narratur à Gal. cap. de Schisto sic: *Hematites, Schistos, Galaetites, & Melitites in succum soluentur, qui ad cotem, aut ad mortarium attriti sint.* & alij lapides, vt qui in Aegypto nascuntur; Vtebantur illi prisci ad varios morbos fugandos, & inter ipsos Dioscor. Lapidibus, atque lapillis pretiosis liquatis, & desumptis; cum vires à se edant, teste Galeno cap. proprio, *partim secundum totius substantiae proprietatem, & partim secundum qualitates effectrices.*

Sunt eodem modo omnes lapilli pretiosi comminuendi, sicuti & ceteri lapides, qui aut in cote, aut in mortarijs teruntur, vt 9. Simpl. Docuit modum illos læuigandi Auic. lib. 5. S. 1. dicens: *Hya- cinthi, Granatæ, Iaspis ponantur in instrumento terendi, & incipiatur commotio cum facilitate; deinde ponantur in tabula, & præparetur super eam ad terendum, & fiat pulvis minutissimus.* Hoc pacto & reliqui parentur, superinfundatur sæpe, dum læuigantur, aut aqua rosarum, aut è floribus citri: deinde in pastillos cogantur.

Lapillorū  
pretiosorū  
præpar.

## De Terra, et eius ablutione, et adustione.

### Cap. XVI.



**E**RRAM decreuit Gal. 9. Simpl. à Latinis vocari, quæ aqua iniecta, statim soluitur, & fit lutum. Huius, quam homines ad culturam elaborant, due sunt differentie. Vna enim est pinguis, viscosa, & colore atra. Altera friabilis, & coloris



coloris expers, & quoquo modo candidior. Hæ autem sæpè adiunctis quibuldam specie inter se differunt, teste Diosc. lib. 5. cap. 161.

Terræ Lē-  
niæ depurā-  
dæ via.

Abluuntur, atque macerantur larga aquæ affusione, ut omne illud, quod arenosum, ac lapidosum est, subsistat, & terra exactè supernatet. Tale quiddam & in Lemnia terra visitur, quam cognominant quidam Milton Lemnium, & alij Sigillum Lemnium; si quidem hanc terram Sacerdos cū quodam honore sumens in urbem comportat; quam deinde aqua maceratam, & in lutum redactam, ubi valenter conturbauit, paulatimq. inde quiescere sinit, aquam, quæ supernatet, primū aufert, & mox quod sub ea pingue terræ tollit: at reliquū dumtaxat, quod ad imum subsedit, lapidosum scilicet, & arenosum relinquit, ut inutile. Porro lutum illud pingue desiccatur, dum mollis ceræ consistentiam accipiat, & sacrum Dianæ signum imprimit, & postea in umbra siccandum reponit. Secundū hanc viā, ut paulò inferius legitur, omnis alia terra abluatur. Aqua autem, qua maceratur, nullam habeat medicamentose qualitatis suspicionem. Interdum aliqua prius aduritur, & deinde abluatur. Hæc omnia Gal. qui tantæ fuit cupiditatis adinuendi perfectam terram Lemniam, ut nauigauerit in Lemnum Insulam, non alia de causa, ut Dij norunt.

*De his, quæ ab Animalibus, aut eorum partibus, aut superfluitatibus desumuntur. Cap. XVII.*

**D**ESERVIVNT cupidofanitatis introducendæ Medico non tantū Plantæ, Terra, omnia Metallica, Mare, & quæ in eius algofo sinu feruantur: